

adveniet, fera velivolantibus
navibus complebit manus litora.'

- 32
68 tragoedias loqui videor et fabulas. At ex te ipso
non commenticiam rem sed factam eiusdem generis
audivi: C. Coponium ad te venisse Dyrrhachium, cum 5
praetorio imperio classi Rhodiae praeesset, cum primo
hominem prudentem atque doctum, eumque dixisse re-
migem quendam e quinqueremi Rhodiorum vaticina-
tum madefactum iri minus XXX diebus Graeciam san-
guine[m], rapinas Dyrrhachii et conscensionem in na- 10
ves cum fuga fugientibusque miserabilem respectum
incendiorum fore, sed Rhodiorum classi propinquum
reditum ac domum itionem dari; tum neque te ipsum
non esse commotum Marcumque Varronem et M. Ca-
tonem qui tum ibi erant doctos homines vehementer 15
esse perterritos; paucis sane post diebus ex Pharsalia
fuga venisse Labienum; qui cum interitum exercitus
nuntiavisset, reliqua vaticinationis brevi esse confecta.
- 69 Nam et ex horreis direptum effusumque frumentum
vias omnis angiportusque constraverat, et naves su- 20
bito perterriti metu conscendistis et noctu ad oppidum
respicientes flagrantis onerarias, quas incenderant mi-
lites quia sequi noluerant, videbatis; postremo a Rho-
dia classe deserti verum vatem fuisse sensitis.
- 70 Exposui quam brevissime potui somnii et furoris 25
oracla, quae carere arte dixeram. quorum amborum
generum una ratio est, qua Cratippus noster uti solet,
animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse